



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De Tyrannorum Isaurorum euersione. Capvt XXXV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

nicia gerenti, vt Cosmam & Seuerianum suis sedibus expelleret, propterea quòd Seuero libellum abdicationis miserant: qui cum venisset in orientem, & multos Seueriani & Cosmæ doctrinis adhærescentes, & suas ipsorum ciuitates strenuè propugnantes reperiret, retulit ad Anastasium hos sine sanguine non posse suis sedibus exturbari. Itaque tantum in Anastasij animo insedit clementiæ & mansuetudinis, vt per litteras Asiatico planè significaret, se velle nullum facinus aggredi, quantumuis magnum & memorabile, si vel gutta sanguinis pro eo fundenda esset. Hic quidem ecclesiarum totius orbis terræ status fuit, dum regnaret Anastasius: quem nonnulli, tanquam concilij Chalcedonenfis aduersarium existimantes, ex sacris tabulis exemerunt: Hierosolymis autem anathema fuit illi denuntiatum.

*De Tyrannorum Isaurorum euerfione.*

*CAPVT XXXV.*

**N**ON fuerit forsan ab eo, quod sumus antè polliciti, alienum, si alias quoque res Anastasij temporibus gestas huic hystoriæ attexamus. Longinus Zenonis frater, cum in patriam, vt antè dixi, venisset, bellum palam contra imperatorem parat: & multis copijs vndique collectis, (quibuscum episcopus duntaxat prouinciæ Apamiæ, quæ est in Syria, coniunctus fuit) vnà cum Isauris & ipse quoque Isaurus ad bellum gerendum proficiscitur. Cui bello finis tandem imponebatur, partim quòd Isauri, qui vnà cum Longino ad bellum iuerant, penitus deleti, partim quòd Longini & Theodori capita à Ioanne Scytha Constantinopolim missa fuere: quæ quidem capita imperator palis alligata, in loco, cui Sycæ nomen est, è regione Constantinopolis in vltiore maris littore sito suspendit: gratum sanè spectaculum propterea Constantinopolitanis, quòd ipsi à Zenone & Isauris grauibus antè affecti fuissent incommodis. Alter porro Longinus, cognomento Selinuntius, qui magnâ partè tyrânidis pariter occupauerat, & Indus vnà, à Ioanne cognomine Cyro viui capti ad Anastasium mittuntur, quæ res animos

*Selinuntius à Cusp. dicitur.*

etiam

EVAGR. HISTORIAE

tum imperatoris, tum Constantinopolitanorum magnopere recreavit: quippe & Longinus, & Indus, catenis ferreis collis eorum circumiectis, instar triumpho, per plateas civitatis, & per circum ducebantur. Atque ea de causa, quae iam ante vestigalia Isaurica dicebantur, (erant quidem ista, summa auri ad quinque millia librarum, quae quotannis Barbaris pensitari solet) in thesauros imperatoris impotata fuere.

*De Sceneris Barbaris, quod foedera cum Romanis sanxerunt. Cap. XXXVI.*

**B**Arbari porro, (quos *σκυθῆτες*, id est in castris & tabernaculis habitantes vocant) arrogantia elati contra imperium Romanum non sine suo damno arma ferunt: Mesopotamiam, vtramque Phoeniciam; & Palaestinam depopulantur: qui quidem à ducibus cuiusque provinciae graviter & acerbè afflictati, in posterum, foedere cum Romanis omnium suorum nomine pacto, conquieverunt.

*De Abida obsidione, & edificatione Daras. Caput XXXVII.*

**P**ersae praeterea, ruptis foederibus, & proprijs sedibus relictis, Cabade ipsorum rege duce, primum in Armeniam incursionem faciunt: atque oppido, quod Theodosiopolis vocatur, capto, Amidam, urbem Mesopotamiae satis munitam accedunt: eamque obsidione capiunt: quam imperator Romanus non sine multis molestijs ac laboribus recuperavit. Quod si quisquam studio ducitur istas res ad vnguem (vt aiunt) cognoscendi, & omnes peruestigandi accurate, Eustathium legat, à quo disertè admodum summoque cum labore & exquisita elegantia narratae literisque prodita sunt: qui cum historiam ad tempus, quod nos iam persequimur, deduxisset, & ad annum duodecimum regni Anastasij finem scribendi fecisset, excessit è vita. Hoc bello cōfecto, Anastasius locum quendam Mesopotamiae, qui Daras dicitur, in extremis imperij Romani finibus situm, & velut terminum, quo altera resp. ab altera, distin-